

1509 tru, terræque motu ejus conclavis, in quo asservabatur, parietibus & tecto, ut lateres, tegulas, afferes, tignaque ipsa longo per aera tractu volantia ignis vis atque impetus in diversa tulerit; fumo & caligine urbein totam puncto temporis integens civitatem perterrefecit: Senatusque, qui habebatur, miraculo exterritus in forum frequens descendit, eo igni & cadentibus passim iis, quæ sublime erant, fragmentis, ex fabrum collegio quamplurimi, magisterque ipse fabrum, & honesti homines aliquot interierunt: habitaque pro ostento res fuit. Regis sub hæc Ferdinandi legatus Patres adiit, *Regem suum eo se fædere, quod ictum Cameraci esset, uno modo capite, quo sit bellum Thracibus inferendum, cum Aloisio rege conjunxit-* se: *velle enim, quod cum republica fœdus habeat, in eo amantissime permanere: cupere autem, propterea quod fiat certior ab Aloisio arma in rempublicam parari, scire a Patribus, quænam sit ejus rei causa: demum, quidquid aut opibus, aut benivolentia valeat, id omne reipublicæ polliceri.* Ejusmodique sermonem ipse in Hispania rex cum reipublicæ legato Francisco Cornelio habuit, ut Senatus ea, quæ multis auctoribus aliunde cognovisset, de Ferdinandi ab se alienatione, falsa esse crederet. ita sunt prona hominum ad fallendum ingenia, non quorumlibet modo, sed regum quoque. Ubi Patres de insidiis imperatori factis in agro Bergomati ab Gallis equitibus intellexerunt, ea re belli factum initium rati, duos ad id legatos legerunt, illos ipsos, qui paulo ante bellum Reticum Carnicumque administraverant, Andream Grittum, Georgium Cornelium. atque is, antequam proficeretur, majoribus comitiis templi Marci procurator lectus est, Dominici Mauroceni, qui mortem obierat, de quo supra commemoravimus, loco. Erat Cornelius annorum LV. neque post Franciscum Foscarum, qui Dux Venetorum fuerat, quenquam minorem natu illum magistratum esse adeptum constabat: adeo uni senectuti eo creando fere semper honos fuit. Præfectus quoque a Senatu lectus est Epirotis equitibus Justinianus Maurocenus:

*Belli contra
Venetos ini-
tium.*